mine, dum adhuc viveret, fuit sepultus. Laboravit enim dictus Gero infirmitate capitis, ita ut sepius post multos dies ipse iaceret quasi mortuus, unde per successorem suum episcopatum ambientem sepultus dicitur ipse vivus.

Warinus.

29 Vicesimo octavo loco sortitus est pontificalem cathedram coloniensis ecclesie, sedens sub Ottone II imperatore annis 9, venerabilis pater Warinus supra memoratus. Qui defacto suo, quia videlicet antecessorem suum scilicet Geronem archiepiscopum, utrum affectata vel incauta nescitur negligentia, adhuc viventem fecerat sepeliri, extitit infamatus; accedens ad romanam curiam penitens fuit, et, impetrata a sede apostolica de hac re indulgentia, monasterium sancti Martini in colonia collapsum decenter reparavit et in religione atque possessionibus habundanter melioravit, Instituens in eodem cenobio nationem Scotorum sub religionis habitu perpetuo permansuram. Idem quoque Warinus ad preces beati viri Egberti Treverensis archiepiscopi, baculum sancti Petri secans per medium, superiorem ipsius baculi partem coloniensi ecclesie retinuit, b) partem vero inferiorem restituit ecclesie Treverensi, que ipsum a) totum habuerat ab antiquo, prout in precedentibus continetur.

Evergerus.

30 Vicesimo nono loco ordinatus est in pontificem coloniensis ecclesie, sedens sub Ottone III imperatore annis 15, venerabilis presul Evergerus; qui obiens sepultus est b) Colonie in ecclesia sancti Petri.

Heribertus.

31 Tricesimus a) successit in sede d) coloniensis ecclesie, sedens sub dicto Ottone III, nec non Henrico II imperatoribus annis 21 e), beatissimus pontifex Heribertus. Iste vir sanctus existens in Italia in comitatu Ottonis III imperatoris memorati, in archiepiscopum coloniensem canonice electus, accepta quoque ab ipso imperatore, qui plurimum sibi favebat, annuli scilicet et baculi investitura, auctoritate domini Pape fuit in archiepiscopum consecratus. Tandem cum ipse revertens cum imperatore de Italia, per aliquos annos stetisset in partibus ecclesie coloniensis, religiosissime presidendo, revertens iterum cum imperatore in Italiam. Nam idem imperator de rectibus et consilio ipsius sancti viri multum confidebat. Inter cetera habuit in via sepius secreta cum imperatore colloquia de salute animarum. Ad ultimum autem in hujusmodi sanctum propositum uterque convenuint, tam archiepiscopus quam imperator, quod is ipsorum, qui primo sospes de Italia reverteretur, instituere deberet decentem religiosorum conventum in honorem sancte dei genetricis Marie. Ad quod etiam perficiendum larga contradidit eidem archiepiscopo predia imperator. Ipso igitur imperatore urbem Romanam ingresso, breviter postea ibidem defuncto, corpus ipsius per eundem sanctum Heribertum, de hac re dudum in processu itineris per

b) p. C. e. r. desunt 1.

+ ~~a) [illegible]~~

+ a)

~~b) Colonie addit 2.~~

+ ~~a) deest 1. 2. tri tricesimus~~

+ ~~d) sede 2.~~

+ e) ~~xx~~ viginti 1. 2. 3.

1.

13.

de Augustinianis gehört ab initio canonici

V. Heriberti